Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

N° 16.



= L. N. 1122

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

IONÆ PROPHETÆ, PROPHETIA CAR-MINE HEROICO RED-DITA.

A
LAVRENTIO MATTHIADE
NYBVRGENSI. C.



HAFNIAE,
IMPRESSIT LAVRENTIVS
BENEDICTVS.

ANNO,

M. D. LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Ierem: 18.

SI pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo quod loquutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei, & ſubito loquar de gente, & regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono quod loquutus ſum vt facerem ei.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

GENEROSO ET MAG-
NIFICO, NECNON ERVDITIONE
EXIMIA, OMNIQVE VIRTVTVM GENE-
re, atq; dignitate excellenti Viro D: HENRI-
CO RAMEL de Wuſteruitz & Beckeſkow:
Sereniſsimi FRIDERICI II. *Danorum*
Regis Conſiliario fideliſsimo, Domino
ſuo omni deuotione colen-
diſsimo.

S. D.

Q Vantus amor ſummi & clementia quanta tonantis
Sit, quis mortalis commemore poteſt?
Is genus humanum ſeductum dæmonis arte
Exemit Stygij carceris arbitrio.
Ipſe tenebroſis triſtis de faucibus orci
Ereptos, gratis, ſeruat, alitq; fouet,
Iudæos, ſimul & gentes, diſcrimine nullo,
Ad Sacram cœnam congregat ille ſuam.
Hoc monſtrant clarè ſeptem ſubiecta trioni
Regna hæc, tu quoq; nunc Dania teſtis eris.
Tu mihi teſtis eris, celſi fabricator olympi,
Ad lætum nam te ducit ouile ſuum.
Rege ſub egregio, egregijs te legibus ornat,
Dogmate Saluifico templa, ſcolasq; replens.
Hoc etiam Niniues demonſtrant mœnia magna
Mœnia cingẽtes facta nefanda pijs.
Aſt populum inſanum cœlo miſeratus ab alto
Altitonans, cum quo patris & inſtar agit.
Eripit errantes Sathanæ de carcere ciues,
Inq; viam rectam, retrahit, atq; docet:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Quod pulchrè oſtendit vates diuinus Ionas,
In ſacris, cuius aurea ſcripta ſonant.
Hinc datur ambroſia, & nectar cœleſte legenti,
Haurire hinc quiſquis pharmaca viua poteſt.
Hic ſiquidem primò ætherei rectoris olympi
Ob ſcelus admiſſum, panditur ira grauis.
Atq; Dei deinceps patet omnipotentia ſummi,
Qui quæcunq; placent, omnia ſolus agit.
Tum Domini hîc lucet bonitas, & amica voluntas,
Omnem qui gentem ad cœlica regna vocat.
Hanc ergo hiſtoriam multo ſolamine plenam,
Muſa mea hoc quali carmine cunq; canit.
Sunt, fateor pauca, & non tali ornata lepore,
Vt ſubeant tanti, nomina tanta viri.
Cum tamen ingenuis faueas HENRICE camœnis
Omni ſublato, ſcripſimus iſta, metu.
Obſecro, tu placido, RAMEL celeberrime vultu
Suſcipias, quæ nunc noſtra Thalia canit:
Permittente Deo, nobis ſi creuerit ætas,
Culta magis tandem carmina Muſa dabit.
Iam precor eueniat tibi feliciſſimus annus
Et viuas fauſté, fauſtaq; cuncta geras.
Det Deus omnipotens qui cœli ſidera torquet,
Vt vera creſcas ſpe, pietate, fide.
Viue diu felix felici tempore RAMEL,
Te Deus æternus, protegat, ornet. Amen.

Generoſitati & amplitud: T.
deditiſſimus
Laurentius Matthias
Nyburgenſis. C.

PRO-

CAPVT PRIMVM.

Siderei factor cœli, terræq́ creator,
Terrigenûm diuûmq́ parẽs: qui ſæua coruſca
Fulmina molitur dextra: cui maxima tellus,
Cui mare, cui cœli palantia ſidera parent:
Exoſus fraudes hominum, crudelia facta,
Et ſcelus, his vatem dictis affatur Ionam
Hebræa de ſtirpe ſatum: Quem candida mater
Conceptum Amithao genuit (mihi crede) parente.
Vade age, rumpe moras, qua te via ducit Iona
Perge ait, & celeres huc me duce dirige greſſus,
Mœnia magnæ extant Niniues turrigera: Quondam
Relligione potens, pietate & moribus: At nunc
Gens vitijs, grauibusq́ dolis, famaq́ ſeniſtra
Nobilis, (exitij ſortisq́ ignara futuræ)
Meq́ meamq́ pari legem, violenta propago,
Contemptu inceſtare audet, luxuq́ ſolutam
Conſtituit vitam producere, Neſcia veri.
Quare age, rumpe moras, hîc noſtri nuncius eſto,
Atq́ hanc excelſis extructam turribus, vrbem,
Funeſto verè perituram ediſſere fato,
Quaq́ Gomorrhææ quondam pœna incola terræ
Qua Sodomi periêre viri, pice, Sulphure, flammis,
Sic ait, & facto vatem ſic fine reliquit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

At grauis Amithai nato ſub pectore cura
Æſtuat, atq; animum torquet, perq; omnia verſat:
Quid ſtruat? aut qua ſpe magni mandata Tonantis
Abnuat? & iuſſos poſſit fugiſſe labores?
Quo flectat greſſus? Quæ nunc loca tuta ſequatur?
Terrenæ an pelagi tractus? vel cæca ferarum
Luſtra? vbi ſe effoſis queat occultare latebris?
Imperione grauem verbis violare monarcham
Auſit, & inſanam dictis inceſſere gentem?
Talibus atq; alijs nunc hunc, nunc diuidit illuc.
In parteſq; animum varias, miſer vſq; volutat:
Nec tamen ulla viro potior ſententia viſa eſt.
Surgit inops animi nec plura moratus Ionas,
Vultum atq; ora Dei metuens, duriq; laboris
Tædia, terga fugæ nudat, tutumq; putauit
Pandere vela notis, & vaſtum nauibus æquor
Sulcare, in terram & ſubitò properare Ciliſſam.
Vrbs antiqua fuit, iunctum cui nomen Iäpho
Creditur, aduectis ſtatio gratiſſima nautis.
Hîc remos & vela legunt, hîc dente tenaci
Anchora conſueuit feſſas fundare carinas:
Huc profugus greſſu celeri deuenit Ionas:
Dehinc nauem ingreditur volucrem mercede ſoluta,
Nauem cui iamiam retinacula nauita rumpit,
Nauita iam portus cupiens luſtrare Ciliſſos.

So.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Soluunt mox oram, portumq́ carina relinquit,
Et liquido fertur pelago: fugit ocyor aura,
Inuehiturq́ citis velis, atq́ æquora verrit.
Vix iter exiguum nautæ per ſalſa feruntur
Flumina, cùm nitidi ſummus moderator olympi,
Vndiq́ collectam rabiem, ventosq́ furentes
Immittit pellago, & laxas dat pronus habenas.
Terribili ſubitò miſceri murmure cœlum
Incipit, & totum nox occupat horrida pontum,
Inuoluêre diem nimbi: Tùm fluctibus æquor
Diſsilit, & dicto citiùs tremit omne tumultu:
Inſuper effuſis tempeſtas imbribus atra
Voluitur, ac celeri collucent nubila flamma:
Inſequitur grando, rapidusq́ procacibus auſter
Vsq́ minis: æſtuq́ imæ turbantur arenæ.
Tum verò inſurgunt nautæ, ferit aurea clamor
Æthera, nequicquam ſummo conamine remis
Incumbunt: remi franguntur: ſæua libido
Ventorum, ingentes fluctus ad ſidera iactat.
Occupat & cunctos terror formidine lethi
Ingens, absq́ mora pariter ſuperosq́ precantur:
Atq́ in vota vocant Diuos, quibus æquora curæ,
Ventorumq́ quibus ſumma eſt conceſsa poteſtas.
Ipſe gubernator nauis, cui maxima cura,
Vi multa torquet nequicquam ad littora clauum:
Heu quid agat? Nam feſsa gemit ſub pondere cimba,

Indo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Indomitoq; noti fremitu ſonituq; fatiſcit:
Continuo tumidos in fluctus omnia nautas
Expoſuiſſe iubet: Nat libera gaza per vndas.
Omnibus vnus amor laceram releuare ſaburram
Fluctibus obiectam, nimio ne pondere merſa
Occidat, & rimis bibat æquora ſalſa dehiſcens:
Cunctantes ſocios hortatur voce magiſter,
Caſtigatq; moras, perq; omnia ſedulus errat,
Iam proram luſtrat, iam puppim, iamq; carinam,
Lenis vbi profugum requies mulcebat Ionam,
Ignarum tanti diſcriminis atq; pericli,
Et grates toto ſpirantem pectore ſomnos.
Hîc vero ingenti nauarchus percitus ira,
Prôh ſcelus, exclamat, Quæ nunc ignauia, demens,
Mentem agit? Heu noſtros nondum miſerate labores
Aſpice ſubductum crudelibus æthera nimbis,
Præſentemq; necem: poten' hoc diſcrimine ſomnos
Ducere? Quin votis diuos precibusq; fatigas
Improbe? Quas fundis mœſto de pectore voces
Quem colis omnipotens forſan Deus audiet, atq;
Sedari ventos faciet, tumidasq; procellas.
Talibus ignauum dictis caſtigat Ionam,
Nec tamen interea motæ deſæuit aquæ vis,
Sed magis atq; magis motantur murmure diro
Marmorei fluctus, cœlum tonat omne fragore:
(Mirandum dictu) penitusq; ſonautia plangunt
Æquo-

Æquora. Stant omnes mœſti & ſine ſanguine nautæ,
Nec quid agant certum eſt: proræ puppiq; recuruæ
Inſilit vnda: diem nox ſæuior eripit omnem.
Tunc exaudiri gemitus, ſtridorq; rudentum
Feralis, plorant iam, deſperant, vlulantq;:
Concurſant trepidi ſocij, motiq; requirunt
Cauſam atq; nifeſti Nerei, cur ſcilicet æſtu
Ferueat irarum tanto: quare Æolus omnem
Ventorum rabiem reſerato emiſerit antro,
Atq; aliquis (cum iamdudum ſuſpectus Ionas)
Mittamus ſortes inquit, qui fortè potentem
Dictis vel factis ſuperorum offenderit vllum,
Quem propter fremitus tantos, totq; æquore fluctus
(Infandum) patimur miſeri, tantasq; procellas.
Conſilium placuit ſocijs, gaudentq; reperto,
Adſunt, & dubiam ducunt ex ordine ſortem:
Ducitur, At profugum ſors conſcia ſignat Ionam
Ergo fremũt animis reliqui, & cur improbe nobis
Exitium præſens? cur tanta pericula? tantum.
Ventorum rabiem? tantum ſcelus ingeris? Aiunt:
Qui genus? Vnde domo? Qua tandem gente profectus?
Qua regione venis? Series quæ priſtina vitæ?
Ille ſub hæc: Quoniam vobis ea diſcere curæ eſt,
Et me ceu motæ cauſam ſors improba turbæ
Prodidit, expediam. Me gens illuſtris Hebræa
Progenuit, pater eſt Hebræus, mater Hebræa.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Præterea verum cœli terræq; parentem
Perpetuo ſuplex veneror, qui cuncta creauit,
Diuino cuius nutu res quæq; reguntur:
Qui freta, qui terras, qui vaſtum temperat æquor.
Vix hæc addiderat, cùm luridus omnibus horror
Frigida membra quatit, gelidusq; per intima currit
Oſſa tremor. Nec plura rogare audacius auſi,
Quæ ſit cauſa viæ, cur nauiget æquora quærunt:
Quamuis hæc docuit quærentes ſingula nautas
Cum primum adueniens greſſus in littore fixit.
Sed maria & fluctus pelagi ſedare feroces
Qui modus? exclamant: ſpirare valentius eurus
Incipit, increpitant nubes, ruit igneus æther.
Atq; adeo incertos rerum, trepidosq;, ſuarum
Solatur profugus vates, ſic farier orſus.
Meme adſum pelagi veriſſima cauſa furentis
Præcipitate viri, ſcopulis & fluctibus imis
Mergite, ſedari ventos ſi vultis & æquor:
Me propter (fateor) boreas exaſperat undas:
Me propter freta cæca ſonant: me propter eundem
Porta tonant cœli, & denſiſſimus ingruit imber.
Si vitæ cupidi laceram ſeruare Carinam,
Et lætum vultis portum tenuiſſe beati,
Me lymphis (equidem merui) mandate marinis.
Dixerat: At lachrymis nautæ triſtãtur obortis,
Nam ſcelus exhorrent tantum: rurſusq; prehenſis

In-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Inſurgunt remis, rapidosq; euadere fluctus,
Atq; furens pelagus ſumma nituntur opum vi:
Sed Notus abreptos in aperta pericula torquet,
Nec tutam ſinit ire viam, penitusq; minaci
Euomit ore necem, tunditq;, fremitq;, ruitq;,
Iam aperit ſæuas (dictu miſerabile) Syrtes,
Iam ſummo montes à vertice voluit aquarum.
Hîc iterum geminas ad triſtia ſidera mœſti
Protendunt palmas, & dicta precantia fundunt.
Summe Deûm, qui cuncta tenes, terramq; polumq;,
Qui premis imperio populos, qui ſtridula ponti
Numina, qui volucres Zephyrosq;, Notumq; gubernas
Horriſonum, ſonitumq; maris: Res aſpice fractas,
Et veniam facto vetito largire, quod ipſi
Inuiti facimus miſeri: Nec propter Ionæ
Exitium, à nobis vltrices exige pœnas,
Summe Deûm, cuius nutu res quæq; reguntur,
Qui, quodcunq; placet, peragis. Sic deinde precati,
In mare præcipitem puppi, ceu iuſsit, ab alta
Deturbant profugum vatem, lapſumq; relinqunt.
Haud mora: diffugiũt tenebræ, piceæq; procellæ,
Aſpera ceſsit hyems, omnisq; repente quieſcit
Impetus, & dicto citius (quis credere poſſet)
Vna eurusq; aquiloq; ſilent, & turbidus Auſter:
Nec non puniceo ſol ignifer exit amictu,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Nubibus expulſis, lætumq; per æthera vectus,
Flammiferos ſpargit radios, atq; aera purgat.
Ergo vbi iam nautæ rediere ad littora ſalui,
Impensè timuere D E I venerabile numen:
Et validum ſtatuunt pulcra ceruice iuuencum
Ante aras, Voti memores, crepitantibus atq;
Flammis thura cremant, Et toto corde precantur.
At Deus eiectum naui miſeratus Ionam,
Et vitreis actum lymphis, immania Cete
Euocat ex alta vaſtaq; voragine ponti,
Exanimis quorum Ionas captatur in aluum,
Donec lux croceo velamine præuia ſolis
Ter caput Oceano referat, rurſusq; recondat.

CAPVT SECVNDVM.

TVm vero examinis crudeli in viſcere Ionas
Immenſi piſcis ſub gurgite talia vaſto
Ingemere, & triſtes in fletum ducere voces:
Et lachrymis fædare genas, ſic farier orſus.
Innumeris grauibusq; malis, varijsq; periclis,
Obſitus, ad Dominum palmas vtrasq; tetendi,
Atq; illum tremula conſtanter voce vocaui:
Audijt, & firmam, Dominus, ſpem concipe, dixit.
Faucibus è medijs Erebi, ſtygijsq; latebris,
Te mea lingua Deus gemuit, te pectore toto

Cla-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Clamaui, cœloq; oculos animumq; tetendi.
Ecce tuas autem ſubitò vox ſupplicis aures
Impulit, & ſummi deuenit limen olympi.
Tu me (nam memini) ſcopulos per, & ardua ponti
Flumina præcipitem puppi fremebundus ab alta
Turbabas, prædamq; dabas Zephyrisq; Notisq;:
Tu me veliuolis ſubmerſum fluctibus atra
Cingebas rabie pelagi, & caligine denſa.
Atq; tuum à nobis aſpectum ſubtrahis, inquam,
Mi Deus, & triſtes adigis me fulmine ad umbras:
Sacra tamen ſancti rurſus penetralia templi
Videro, quæ plena thuris veneratur acerra
Sola paleſtinæ pubes celeberrima terræ.
Heu quam ſub rapido mea gurgite membra feruntur,
Eheu, quanta meam iactant diſcrimina vitam,
Quot ſæuas ſcelerum facies, quot inhoſpita ſaxa
Experior, multaq; obductus arundine paſſim
Fluctuo, iam periam ſub iunco laſſus acuto.
Non ullum mihi terra locum ſedemue reliquit,
Vndiq; prærupta me circum mole minatur,
Talibus atq; alijs, terræq; marisq; creator
Alme DEVS, triſtj rumpebam pectore voces.
At tu, magne parens, vitam miſeratus egenam
Supplicis, & lachrymas, & verba precantia, Ionæ,
Improba turbidulæ fregiſti vincula mortis,
Vincula quæ noſtros ſceleratis nexibus artus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Nectebant, animumq; truci ſub lege tenebant.
Spes mea iam vitæ ſeceſſerat omnis, & atræ
Horrida iam ſubiit mentem mihi mortis imago:
Dum tamē alme Deus, tua verba, animumq; recordor,
Accelerat rurſum, & timidum ſolatur Ionam.
En mea, quam fudi ſub triſti, oratio, fluctu,
Exaudita Deo ſuperas migrauit ad auras,
Teq;, tuasq; domos, & templa micantia latè
Vidit, & optati fontem ſolaminis hauſit,
Largiflui fontis fluuios, vndamq; ſalubrem,
Quam tua ſupplicibus potandam dextera gratis
Porrigit, humani generis miſerata dolores.
Non ego tanta Deus meriti ceu præmia noſtrj
Dona fero: Ah nimium præ tantis vilia donis,
Terrigenûm ſtudia, & mores iactantur inanes.
Namq; tuum meritis dum ſe arbitrantur amorem
Sectari, in fumis rabidi ſquallentibus Orcj
Omnj crudelem lugebunt tempore cladem.
Aſt ego, ſumme Deûm merito venerabor honore
Te pater, & pingui tua ſæpe altaria thure
Incendam, & flammis crepitantibus: Accipe ſacris
Debita vota tuis, atq; hunc ſine maxime diuum,
Innumeras inter cultum ſibi ſerpere laudes:
Talia fluctiuagi tenebroſa piſcis in aluo
Ingemuit, factoq; hîc fine quieuit Ionas.

Tum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Tum Deus æquoreas ſubitó properare per vndas
Balænam, & virides exponere iuſsit in herbas
Littoris, informi quod corpore pondus habebat.
Illa creatoris magni parere parabat
Imperio, & tumidas pennis diuerberat vndas
Paulatim, & vitrei ſecat æquoris humida regna,
Marmoreosq; lacus, quáq; eſt via proxima curſum
Dirigit, atq; mora ſine tarda ad littora fertur,
Hîc profugum virides. vatem proiecit in herbas.

CAPVT TERTIVM.

VTq; procul ſpiſsa Ionas conſedit arena
Littoris, è vaſto monſtroſæ redditus ore
Balenæ in lucem, ſummi venerabile patris
Inuehitur numen, rurſumq; affatur Ionam.
Vade age, rūpe moras, Niniuen pete protinus vrbē,
Pande illi exitij cauſam, & lachrymabile fatum,
Et miſeram pœnæ emenda formidine gentem:
Ni reuocare pedem, ni vitam degere honeſtam,
Et pœnam timuiſse velint. Ea verba locutus
Conticuit, tenuesq; abijt ſublimis in auras.
Ille Auſtriq; Notiq; memor, palagiq; profundi,
Continuò celeri Niniueia tramite rura

Aggre-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Aggreditur, portasq́; & mœnia celſa ſubintrat,
Mœnia vix ternis cuiquam peragranda diebus.
Vtq́; duodenas errarat in vrbe per horas
Amithao ſatus, & diſcrimina mille viarum
Legerat, incautis exponere ciuibus ardet
Fataq́;, fortunamq́;, & ſummi iuſſa Tonantis.
Ergo forum petit vnde virum denſiſſima prodit
Colluuies, quos iuſſa DEI, crudelia facta
Edocet, & lapſis quæ ſit fiducia rebus
Admonet, atq́; iram Domini, ſic farier orſus.
O miſeri, cuinam exitio vos ſæua reſeruat
Ira DEI? Qua ſpe ſuperos contemnitis? O gens
Infelix, O cæca cohors, & neſcia fatj
Quid ſtruitis? reuocate pedem: Namq́; horrida ſummi
Dextra patris rutilas à cœli vertice flammas
Præcipitat, vobisq́; ultricia tela coruſcat:
Grandine ſulphurea mixtus ſæuiſſimus imber
Iam prijdem illiſis erumpere nubibus audet,
Et Niniuen cunctis euertere ſedibus vrbem:
Ni DEVS emiſſas iræ reuocarit habenas,
Et memor antiquæ pietatis, & incliti amoris,
Quo genus humanum iam prima ab orrigine mundj
Proſequitur, patrioq́; amplexus pectore ſeruat.
Proînde viri, vitæ ſordes lugete peractæ,
Ne vos immenſa patris bonitate ſupremi
Fruſtratos ſtygijs ſerò doleatis in vndis.

Nam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Namq; quater denos quando ſol igneus orbes
Luſtrarit, roſeis vectus per ſidera bigis,
Horribili Niniuen nigroq; videbitis imbre
Feruere, & ad mœſtos totum deſcendere manes,
Dixit: & exanimes tanto in diſcrimine ciues
Deficiunt cuncti, & ſubitò formidine pœnæ
Tabeſcunt Niniues magnæ iuuenesq; ſenesq;:
Iam neq; repletis ſpumant Carcheſia labris,
Nec grauis increpitat veſco ſub pondere menſa:
Iam neq; Lenæi iactatur gloria Iacchi
Nec flauæ cereris pingues laudantur ariſtæ.
Purpura nec teneram veſtit melibœa iuuentam,
Nec ſua virginibus dantur redimicula comis,
Lamentis, gemituq; alto ieiunia paſcunt.
Sternitur omnis humi ſuplex Niniueia pubes,
Seq; Deum ſperat manibus placare ſupinis.
Dumq; ita ſollicita luctus dominatur in vrbe,
Garrula ſublatis per lucida ſidera pennis.
Fama abit, & curſu regalia tecta volucrj
Ingruit, inſueto regem ſermone quietum
Territat, iratumq; Deum qui cuncta gubernat
Admonet, & veniſſe virum qui triſtia fata
Promeret, exitium perituræ ſcilicet vrbis.
Vix pauca ediderat venturi incommada fati,
Cùm trepido ecce metu rex procidit, atq; gemiſcit,
Abſq; mora infelix humeriſq; abſcindere pictas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Haud dubitat veſtes, ſoliumq́ exoſus eburnum
Deſerit, atq́ humili miſerè velatus amictu
Sternitur, & turpi ſua puluere tempora fœdat,
Tum magna attomitam præconis voce per vrbem
Imperat accitis hæc iuſſa aperire miniſtris.
Heus, ait, imperij fortiſſima pectora noſtri
Cernitis, exiguam ſpem paſſimus. Occidit vnà
Aſſyrium decus & virtus, & dulcia regna:
Ni Deus aſſiduis precibus lachrymisq́ piorum
Mollitus pœnam à nobis auerterit omnem,
Illius ob læſum nam maieſtatis honorem
Perdimur, ille grauem crudeli à gente requirit
Interitum, & pœnas ſcelerato à ſanguine ſumit.
Quare agite, & noſtræ mandata æquiſſima mentis
Ciuibus, atq́ omni Niniues edicite pubi,
Exiguum rapidus decliui tramite Phœbus
Captat iter, latos ſæua cùm percitus ira
Aſſyriæ fines nitidi dominator olympi
Eruet, & totam crudeli fulmine gentem
Ad phlegetontæos aget implacabilis amnes.
Qui niſi ſupplicibus Niniueia mœnia votis
Anxia, de rutila cœli ſublimis ab arce
Viderit, & luctum (fors dicta refutet) acerbum
Audierit, diro moriendum fulmine reſtat
Omnibus effœtis ſenibus, teneræq́ iuuentæ.
At Deus aſſuetus miſeris ſuccurrere lapſis

Flecti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Flectitur humanis precibus, concuſsus acerbo
Illorum gemitu: nec me ſententia fallet,
Quin Deus incenſos irarum omiſerit æſtus.
Poſt hæc præconis vox eſt audita per vrbem.
O ciues, animum paucis aduertite dictis
Magnanimi ducis aſsyriûm cui candida curæ
Pax, & veſtra ſalus, fieri qui talia mandat.
Nemo vel extremis epulas attingere labris
Auſit, & exiguo ſiccam reſtinguere linguam
Flumine: Vel ſolito paſcat de more bidentes.
Non vlli paſtos ad frigida ſtagna iuuencos
Perducant; cythiſumue capris, fluuioſue miniſtret.
Nulla adeo quadrupes libabit graminis herbam,
Veſte parum nitida, ſquallore, & puluere turpi
Nudatos fœdate humeros hominesq; bouesq;,
Ardentes adhibete preces, & tendite palmas.
Sic fore ſperamus (neq; ſpes effulget inanis)
Mite Dei numen, flammasq; extinguier omnes
Irarum, & ſæuos elidi fulminis ignes.
Dixerat, & monitis fidi parêre miniſtri
Certabant, regisq; faceſsere ſeria iuſsa.
Tum Deus ætheria placidum caput extulit arce,
Et mæſto grauidam luctu proſpexit ad vrbem,
Quam ſimul vt vidit iuſtas compeſcuit iras
Pœnarumq; graues ſubitò reuocauit habenas.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

CAPVT QVAR-TVM.

HIc verò exarſit rabies temeraria Ionæ,
Et furor, hasq; imo rupit de pectore voces:
Scilicet hunc patrio præſenſi in limine finem,
Hæc dudum menti res eſt bene cognita noſtræ,
Hac ego de cauſa ſcopulos fretumq; petebam,
Et mea cæruleis vndis, Zephyrisq; Notisq;
Terga dabam, fluctus vitreos miſer atq; ſecabam.
Noui ego quàm miti mortalia pectora vultu
Aſpicias, quàm ſit miſeris aßueta iuuandis
Mens tua, quàm ſis ardenti perfuſus amore,
Sæpe quis infami lingua iurauit iniquè,
Turicremas alius Simulacris præbuit aras:
Ille ſuum inocuo gladium in pulmone recondit:
Nec tamen hi ſceleris iuſtam Deus alme nefandi
Perſoluere ſui pœnam: ſed protinus omni
Libera colla iugo, ſi pœnituißet, habebant.
At mea, magne Deus, fatalia ſtamina rumpe,
(Nihil vitam momor) & me ex his exoluere curis
Dignare vt ſolida poſt hac in pace quieſcam.
Sic ait: At cœli dominus qui ſidera torquet
Sic contra memorat: Quæ te dementia, Iona,
Exagitat? Quid vana fremis? gemituq; tumeſcis?
Deſine, nam tali non hæc res indiget ira.

Hæc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Hæc fatus, cœli petit ardua ſidera; portis
Aſt vates exit, collem ſcanditq́; ſupinum:
De hinc humilem fabricare caſam, quâ reſpicit ortum
Vrbs, captare volens hîc vmbram & frigus opacum,
Donec quid Niniuæ contingeret ipſe videret.
At Deus ex alto Ionam ſpeculatus olympo,
Sub caſula recubantem humili, terræ imperat almæ,
Nec mora, iam folijs ventoſa cucurbita lætis
Naſcitur, & caſulam paſsis amplectitur vlnis.
Vidit odoratum protendere brachia florem
Amithai ſobules, ac ſpargere frigus & vmbras
Protinus humentes: illo de munere lætus
Egerit indignum triſtato è corde dolorem.
Poſtera vix roſeum ſurgens aurora cubile
Deſerit, Altitonans luteo cùm ceſpite vermem
Euocat. Hic teneram præacuto dente laceſsit
Radicem fruticis: Qui deînde peruſtus iniquis
Auricomi radijs phœbi procumbit humi flos,
Purpuream amittit faciem, Laſsataq́; terræ
Brachia declinat nabathæo fractus ab euro.
Ipſe ſub anguſto vates requieſcere tecto
Hum ſperat, calido ſolis perfunditur æſtu:
Æſtuat hinc totus, fiunt quoq́; languida membra,
Reſpicit, & tremulas tandem malè languidus vmbras
Quæritat: At paruo corroſa cucurbita verme
Occidit, & vati tremulam non porrigit vmbram.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Hic iterum rabies Ionæ violentior arſit,
Inq; malis gemuit, taliq; eſt ore locutus.
Quid vitam moror inuiſam? cur perditus vllis
Illecebris capiar vitæ? cur vita ſuperſtes
Sit mea ſola, manet querulo quæ plena dolore?
Ah cœli terræq; parens, ne deſpice vatis
Vota preceſq; tui, nec quod precor eſſe recuſa:
Tædet enim, fateor, cœli conuexa tueri,
Tædet, & ingratam duco hoc in corpore vitam.
Plura locuturo cœlo Deus inquit ab alto.
Ingentes voluis fluctus ſub pectore Iona,
Præcipitemq; foues iram: Quid vana gemiſcis.
Dum perit aduerſo moritura cucurbita flatu.
Tum Ionas, equidem merui, nec deprecor, inquit,
Interijſſe ſemel: Sed dum mea magna voluptas
Flosculus hic blandus cecidit labefactus ab angue,
Iam perijſſe velim, pallentesq; ire ſub vmbras
At Deus, indignum mentis compeſce dolorem,
Siſte, ait, irarum fluctus, lachrymasq; fluentes
Comprime. Namq; tua nata absq; cucurbita cura
Occidit: Et vilem grauiter triſtaris ob herbam,
Quæ primûm eois cum ſol remearet ab aruis
Floruit, & pinguem fudit de ceſpice florem.
Aſt vbi iam ſero proceſſit veſper olympo,
Continuò iacet, & totam citis arida ſorbet.
Hanc ob ſublatam grauiter triſtaris Iona.

Me-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

12

Men' ergo innumeram ſæuo conſumere gentem
Fulmine? mene vrbem flammis exurere tantam?
Vrbem, quæ toties millenos prodere ciues
Ignaros veri haud dubitat, puerosq; ſenesq;,
Armenta, atq; greges, & bruta animantia paßim?
Mene igitur perituræ vrbis metuenda pericla
Ingemuiße decet, durumq; auertere caſum,
Dum potui, rutilosq; extinguere fulminis ignes?

Soli Deo gloria.

HAFNIÆ,
IMPRESSIT LAVRENTIVS
BENEDICTVS.

ANNO
1584.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)

16.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 16 4° (LN 1122)